

ad ingentem matris dolorem, dum uterque prior egredi nitebatur in lucem, Gen. XXV. Rursum in Phares et Zara item geminis, filiis Thamar; Zara enim quasi prior nasciturus, manum promebat; sed, hoc tamen manum retrahente, Phares prior egressus est, Gen. XXVIII. Sic anima Christi in hac hora quasi duos appetitus parturiebat: et quamquam appetitus sensitivus prior se offendisse videtur in illis verbis Christi agonizantis: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, etc.* tamen is ab appetitu rationali retractus est et victus: quod expressit Christus, cum subiecit: *Non mea voluntas fiat, sed tua.* Nos etiam in hac vita contendimus in agone: videamus quomodo strenue pugnemus et carnem spiritui subjiciamus: quia scriptum est: *Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius.*

Secundo, fuit pugna quædam inter metum mortis et imminentium cruciatuum, ex una parte et zelum gloriæ Dei et salutis hominum, ex altera. Hinc Christum provocabat ad emptionem pretiosa margarita, illinc vero absterrebat ingens pretium pro ea dandum; videbat enim Christus sibi vendenda omnia sua, famam, existimationem, vestes, amicos, matrem, sanguinem et vitam, si emere eam vellet. Videbat etiam a plurimis hominibus margaritam illam vilipendendam et pedibus conculeandam: inde quasi secum ipse certabat, expedirene tantum pretii expendere pro illa. Et vicit amor; ideoque jam arrhabonem solvit hujus emptionis, copiosum videlicet sanguinem. Unde dicimus pro regno cælorum omnia adversa libenter toleranda, omniaque nostra expendenda esse.

Tertio, fuit quoddam duellum inter vitam et mortem, prout canit Ecclesia: *Mors et vita duello conflixere mirando.* Solet enim in moribundis adverti ejusmodi lucta cum mors appropinquans abripere nititur hominem e viventium numero: tunc enim natura horret, resistit, sudat præ angustia, quamvis viribus et sensibus jam defecta ac pene exanimis; Christus integris sensibus ac viribus luctatus est cum morte clarissime conspecta. Unde perinde fuit, ac si quis sanus et integris sensibus demitteretur in lacum leonum. Quis enim explicare istius horrorem posset? Quod si Christus ab omni peccato immunis cum morte agonem subiit non absque magno pavore: quid tu facies peccator, quando ingenti mole peccatorum onustus agonem illum ingredieris? Heu quantum ibi sudabis! Christo angelus bonus adfuit ad confortandum illum, sed quales tibi putas ibi adfuturos? Nimirum *angeli pacis*, quos contempsisti, *amare stebunt*; mali vero tripudiabunt et tibi insultabunt.

III. *Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis*

decurrentis in terram. Quid sibi vult hic sudor tam insolitus? Primo, demonstrat nobis amaritudinem calicis illius, quem Christo propinavit angelus, quæ tanta erat, ut solo aspectu et imaginatione antequam biberetur, sudorem hunc excusserit. Refert Maldonatus in c. XXVI. Matth. Lutetiæ Parisiorum, robustum hominem et bene valentem audita in se capitali sententia, sanguinem sudasse. Et Hadrianus Junius, de criminibus, c. X. scribit de quodam Hispano Diego Osorio, eum cum incarcerationis morti addictus esset, ejusque rei certior factus, in una illa nocte, cum esset juvenis, repente totum incanuisse ac proinde vita donatum, eo quod mortem jam degustasse censeretur. Ex his conicere licet, unde sudor is prodierit. Jam vero si hoc potuit prævisio temporalium tormentorum: quo sudore perfunderemur si tormenta gehennæ ita clare videremus? Certe sanguinem fleremus, quod ea de re tam parum solliciti sumus. Sed nonne timoris et horroris est sanguinem ad cor vocare? Ita enim dicimus, postquam aliquando vehementer territi sumus.

Secundo, indicat hic sudor victoriam spiritus de carne; siquidem caro ex hoc prælio cruenta recessit. Item amoris de timore. Quemadmodum enim ignis pulverem pyrium tangens in bombardâ, globum magno cum impetu eiecit: sic primo quidem ex consideratione peccatorum subeundarum, flagrorum, spinarum, illusionum, clavorum, crucis, mortis, etc. sanguis more suo ad cor se recepisse creditur. Ubi tamen amor salutis humanæ vehementissimus, et igneus gloriæ divinæ zelus accessit, hinc timor et angor superatus, et sanguis magno impetu per corporis poros eiecit: siquidem *perfecta charitas foras mittit timorem*, I. Joan. IV. Atque ita sudor iste, immediate quidem processit ab amore, mediate vero a timore. Hic ergo impletum vult D. Justinus, in dialogo, illud Ps. XXI. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.*

Tertio, demonstrat nobis magnitudinem divini amoris in Christo, quasi expectare non potuerit carnifices, sed prævenire illos voluerit spontanea fusione sanguinis, velut myrrhæ primæ ex ar busto non inciso, sed ultro profluentis, quæ est probatissima: ut ita viderimus quanta cum alicritate et charitate pro nobis pateretur. Item quasi tanto charitatis igne arserit, ut vivum sanguinem per venas et corporis poros distillaverit: quomodo vehemens ignis e rosis, imo e lapidibus etiam aquam destillare cogit. Item quod copiosam voluerit exhibere satisfactionem, dum tantum per omne corpus effunderet sanguinem, ut velut rivuli decurreret in terram.

Quarto, ostendit nobis magnitudinem infirmi-

tatis nostræ gravitatem quoque et turpitudinem peccatorum. Quam enim gravis nostra infirmitas fuisse debet, quæ tam grandi indiguit phlebotomia? Quam gravis esse moles peccati debet, quæ divinum illud dorsum adeo pressit, ut tantum cruorem emitteret? Vere hortus hic Gethsemani, *torcular olei* vocatur, peccata enim nostra pondus illud fuerunt quod e botro illo cypri tam copiosum expressit succum. Quanta esse peccati fœditas debet, quæ ut elueretur, tam calido eguit sanguine? Sudare debuit Adam pro peccato suo nec tamen id delevit. Diluvium postea venit, nec hoc quidem satis fuit. Insuper hoc lavacrum ex sanguine Filii Dei adhibendum fuit. Numquid igitur jam non satis est? Non placabitur ira Patris tam miserabili spectaculo Filii sui? Jam enim appropinquavit ad portas mortis, et nisi miraculis retineretur ejus vita, jam fugeret e corpore. Gustavit jam dolores mortis, donetur ergo vita. Sed non annuit Dei justitia, quia neque dum placata est. In trunco enim crucis oculos defixos habet, illuc educi Filium præcipit, nec placari aliter quam in ligno vult, qui in ligno offensus fuit. Itaque in crucem etiam actus est, ut ibi omnem omnino effunderet cruorem ad eluenda nostra crimina. Numquid adhuc aliquid deesse aut requiri potest? Audi prophetam Ezech. cap. XXIV. *Multo labore sudatum est, inquit, et non exivit de ea nimia rubigo ejus.* Heu nimio Dei labore sudatum est, et tamen nondum exivit de nobis nimia rubigo scelerum nostrorum!

§ V. — ADVENTUS JUDE.

I. Revertitur tertio ad discipulos. — II. Excitat discipulos. — III. Advenit Judas cum cohorte. — IV. Judas antecedit. — V. Dat eis signum. — VI. Jubet eum duci caute. — VII. Osculatur eum. — VIII. Respondet Christus: *Amice.*

THEMA.

Amice, ad quid venisti? Matth. XXVI.

Psalmo XXI. qui de passione Domini luculentissime scriptus est, hunc affigit titulum S. Hieronymus ex Hebræo: *Pro cerva matutina.* Quænam illa cerva, et quidem matutina? Christus, auditores, qui vespertino quidem tempore captus et ligatus, sed matutino postea tempore agitatatus et laniatus est a rabidis illis canibus, Judæis et carnificibus, de quibus utique in eo ipso psalmo dicitur: *Circumdederrunt me canes multi.* Quia vero is secundum humanam tantum naturam passus est et mortuus, ideo cervæ potius

quam cervo comparatus. Huic nunc insidias ponere incipiunt pessimi illi venatores, principes et seniores. Mittuntur canes venatici, præcedit explorator Judas, sagacitate reliquos superans, vestigia Christi observans, nec difficile inveniens, utpote in prædam se sponte offerentis. Ergo nunc spectemus miram et inusitatam hanc venationem.

I. Reversus tertio ad discipulos Christus præsentem jam tentationem illis exposuit, cum aliqua exprobratione somni dicens: *Dormite jam et requiescite: ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum*, q. d. ecce jam prædixi vobis tentationem, qui credere mihi et parere toties monenti nolebatis. Dormite jam si potestis, ecce adsunt, qui vos excitabunt vel invitos et quidem fustibus et lanceis. Idem eveniet peccatoribus, qui toties moniti ut a peccatorum somno evigilent et ad mortem ac judicium se præparent atque a ventura ira fugiant, dum hæc surda aure pertranseunt et dormire pergunt, veniet repente hora, in qua videbunt undique se cinctos mortis doloribus et jam ad pugnandum et bene agendum inidoneos. Ibi conscientia redarguente excitabuntur quidem, ut videre incipiant suas miserias, sed somno nondum plene excusso, cæcutientes, palpitantes et oberrantes nesciant quid agant agereque debeant. Quibus merito tunc illudet Deus: *Dormite jam, si potestis: pergite in vestris cupiditatibus et deliciis: ecce adest qui vos excitabit, mors, diabolus, infernus.* Sic enim ait Prov. I. *Quia vocavi et renuistis, extendi manum meam et non fuit qui aspiceret. Desperavistis omne consilium meum et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenierit.* Quam felix et hilaris contra, qui cum Christo vigilat, dicereque potest in articulo illo: *Paratus sum et non turbatus.*

II. Excitavit illos ac monuit ut secum obviant hostibus: *Surgite eamus: ecce appropinquavit qui me tradet.* Et secundum Luc. *Quia dormitis? Surgite, orate ne intretis in tentationem.* Fecit hoc primo, ad compensandam Adæ timiditatem et fugam, qui vocatus a Deo post peccatum, abscondit se. « Non dixit: Ecce adsum, (inquit Rupertus in eum locum:) nec enim Deo aderat, aut obedienter adesse volebat, qui post inobedientiam se absconderat. » Et mox: « Quam perversus hic timor est, qui non facti sui gerere pœnitentiam, sed solam pœnæ suæ fatetur habere confusionem. » Itaque resarcire voluit Christus, quod hic deliquit Adam: ut simul nos et doceret, aliquando nos in litem protrahendos et publice confundendos, si modo erubescamus confiteri peccata nostra eaque occultemus.

Secundo, ut ostenderet suam ad patiendum promptitudinem. Quemadmodum enim necesse erat, ut se Christus tam hominem probaret, quam Deum: ita etiam ut ostenderet timorem patiendi et alacritatem. Si enim non horruisset mortem, nihil passum diceremus: si non prompte et hilariter ad mortem perrexisset, invitum diceremus et coactum eam sustinuisse. Paris utrumque periculi erat; itaque et agnum se ostendere debuit, qui naturali instinctu et horrore fugit lupum, et præ timore huc illuc discurrit, et leonem qui ad nullius pavet occursum obviatque suis hostibus. Illud fecit, cum tristitia et timore plenus in horto discurrit, modo ad Patrem, modo ad discipulos. Istud vero cum adventantibus obviavit hostibus. Vide et lauda Christi in te amorem. Quando etenim quærebatur a populo, ut rex inauguraretur, tunc abscondit se, Joan. IV. Nunc dum quæritur ad patiendum et te redimendum, prodit se et obviam it quærentibus. Itaque magis amavit animam tuam, quam coronam et regnum suum.

Tertio, ut doceret nos modum et rationem obviandi gravi tentationi et morti. Non enim expectandum, donec ea incautos et dormientes atque imparatos opprimat: sed mature evigilandum, arma orationis assumenda, occurrendumque hosti per animi fortitudinem. *Beati enim sunt servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes*, ait ipse. Scimus Samsonem, postquam Dalila somno eum sopiit, attonsum et per hoc viribus suis destitutum in manus Philisthæorum devenisse: quo non devenisset, si pervigil fuisset.

III. *Adhuc eo loquente ecce Judas venit et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus missi a principibus sacerdotum et senioribus populi*, ut Matth. et Marcus habent, necnon cohors, (quæ est tercentum militum Romanorum) ut habet Joannes; imo et principes sacerdotum et magistratus templi, et seniores, ut habet Lucas. Sed ad quem finem tanta turba tot diversorum cum vario armorum genere? Primo, ut tanto magis infamarent Christum quasi insignis quidam latro esset, ferus, indomitus, ac nisi magna vi compesci posset. Quod indicat Dominus postea cum ait ad illos: *Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me*; cum tamen Dominus nulla unquam vi restitisset illis, nec fugam meditaretur; siquidem in templo coram quotidie docebat. Hinc illæ querelæ in Psalmis: *Circumdederunt me canes multi, vituli, tauri pingues et apes*, id est, gentilium et Judæorum ministri, magistratus et principes, et Judas qui mel in ore, ac eum retro habuit. Vide injuriam et malignita-

tem Judæorum: necnon levitatem militum, qui parum curant cui et quo in bello militent, modo pecuniis conducantur, etiam diabole et in causa injustissima servituri.

Secundo, forte ne rursus ministri, sermonis Christi efficacia inescati, eum comprehendere non auderent, uti etiam alias factum, Joan. VII. idcirco etiam aliqui ex ipsismet principibus et magistratibus interesse voluerunt. Vel quia plusquam humanam in eo experti erant potentiam, ne si minori potentia venirent, comprehendere et vincere eum nequirent. Sed vide et ride insaniam: vel enim homo tantum est, et ad quid tot armati contra unum? Vel plusquam homo: et frustra laboratis, etiamsi plures sitis.

IV. *Judas unus ex duodecim antecedebat eos*. Vide mutationem de apostolo in ducem reproborum. Ita nimirum vinum prius optimum, cum accendit, fit acerbissimum: ita qui deserta religione retrospiciunt et redeunt ad sæculum, vel deserta vera fide ad hæresin dilabuntur, plerumque fiunt perversissimi. Exemplo est Sergius ille monachus Mahometani alcorani cursor, Lutherus quinti evangelii, etc. Porro Christus a discipulo tradi se permisit ut pateret Judæis Christi innocentia. Nam si quid mali unquam egisset Christus, discipulos ejus traditor utique Judæis prodidisset, ut sic haberent illi in quo eum accusarent. Ignotus vel alienus nihil potuisset de vita Christi narrare.

V. *Dedit eis Judas signum: Quemcumque osculatus fuero, inquit, ipse est, tenete eum*. Signum quidem dedit, vel quia Christus facie similis erat Jacobo Alphæi, (ut scribit S. Ignatius ad Joannem) vel quia a Romanis militibus alioqui agnitus non fuisset, in tenebris præsertim.

Signum vero osculi dedit primo, quia tunc in more apud Judæos erat salutatio per osculum venientibus amicis præberi solitum, ut patet Luc. cap. VII. *Osculum mihi non dedisti, etc.*

Secundo, præter mentem Judæ, apposite id factum est. Cum enim osculum amicitiae signum esset, quo aptiori signo tradi Christus debebat, quam osculo; siquidem pro amicitia et pace inter Deum et hominem facienda tradi in mortem voluit? Hoc Dei osculum præ omnibus rebus desiderabat sponsa initio Cantie. *Osculetur me osculo oris sui*. Ac sicut Christus ad osculum Judæ præbendum, quod is stature brevioris esset, sese inclinavit, ut habetur in revelat. S. Birgittæ, lib. IV. c. LXIX. ita sane ad osculum humano generi infigendum, heu quantopere Deus sese inclinavit!

Tertio, quia malitia hoc debet, ut in apertum non prodeat nisi tecta velamine bonitatis. Ideo

in tentationibus animi semper antecedit Judas cum osculo, id est, malum sub specie boni: quia *nemo respiciens ad malum operatur*.

VI. *Jussit insuper ut ducerent eum caute*; forte ne eis elaberetur, quo modo Luc. IV. evasit Judæorum manus, quando *per medium illorum ibat*, percutiens illos aorasia; et Joan. VIII. quando abscondit se ab eis, et exivit de templo. Vide quam solertes sint mali ad male agendum! Utinam sic nos caute duceremus Christum quando eum apprehendimus per gratiam, nec tam facile et cito nobis elabi sineremus, id quod sponsa fecit, Cantie. III. *Quæsi vi quem diligit anima, tenui eum nec dimittam*.

Forte timuit etiam pelli suæ, ne videlicet si elaberetur ab eo plecteretur. Sed, o miser, non erat quod timeres: sperare potius ab eo veniam et salutem poteras, si elapsus fuisset! Nunc autem quia caute ductus et arcis funibus ligatus est per tuam maxime impietatem et obstinationem, hinc extendere ad te non potuit beneficam manum suam; ideo tu periisti, sicque *consilium malum consultori pessimum fuit*.

VII. Osculans Christum dixit: *Ave Rabbi*. Apud Marcum legitur græce duplicasse nomen, *Rabbi*: apud Matthæum dixisse: *Gaude Rabbi*. Nimirum ut melleo hoc verbo virus clam immitteret, nec putaretur venire tamquam hostis. Recte adulatoriam orationem vocavit Diogenes melleum laqueum.

VIII. Respondit Christus: *Amice, ad quid venisti?* Matth. XXVI. Et *Juda osculo Filium hominis tradis?* Luc. XXII. Amicum vocavit primo, ut veteris eum amicitiae commonefaceret, quasi ingerens ei illud Ps. LIV. *Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus qui simul mecum dulces capiebas cibos, etc.* docens interim sæpe hoc contingere ut quis serpentem sinu alat, a quo tandem perimatur.

Secundo, ut ipsum ad penitentiam invitaret: quemadmodum et sequentibus verbis: ut si non blanditiis, saltem minis moveretur.

Tertio, ut doceret nos blandis verbis respondere etiam inimicis et calumniatoribus nostris.

Quarto, ut ostenderet quam blande excepturus sit electos in regno suo, si tam benevole accepit traditorem suum.

§ VI. — PROSTERNUNTUR A CHRISTO COMPREHENSORES.

I. Prodit obviam cohorti. — II. Prosternit voce cohortem. — III. Sinit eam surgere. — IV. Vult discipulos dimitti.

THEMA.

Abierunt retrorsum et ceciderunt in terram.
Joan. XVIII.

Qui vitam Christi paulo diligentius rimantur, facile invenient in potioribus ejus gestis manifesta argumenta, non unius aut alterius tantum, sed utriusque simul naturæ, divinæ et humanæ. Natus est ut homo, parvulus et infans, sed interim ut Deus ab angelo pastoribus annuntiatur; neglectus in stabulo jacet ut homo, sed interim a regibus ibi quæritur et adoratur ut Deus. Offertur in templo velut legi subjectus homo, sed a Simeone et Anna prophético prædicatur spiritu ut Deus. Baptizatur a Joanne quasi homo, sed interim vox Patris super eum intonat et Deum et Filium suum dilectum appellat. Jejunat et tentatur in deserto ut homo, sed ibidem angeli ministrant ei ut Deo. Carpunt eum Pharisei, sed prædicant et admirantur turbæ. Ab illis vocatur Beelzebub, sed interim mulier clamat: *Beatus venter, qui te portavit, etc.* Morti jam vicinus, asino vectus ingreditur Jerosolymam ut homo, interim a turbis et pueris salutatur et honoratur ut Deus. In monte Oliveti pavet et tristatur ut homo, sed ibidem uno verbo prosternit armatos milites, ut Deus. In cruce ab uno latrone blasphematur ut homo, sed ab altero prædicatur ut Deus. Ibidem moritur ut homo, sed interim prodigiis celebratur et ab elementis deploratur ut Deus. Nimirum difficillimus fidei articulus erat, Deum fieri hominem: propterea hoc pluribus argumentis mundo ostendendum fuit. Nunc qua ratione obviavit comprehensoribus suis videamus.

I. *Sciens Jesus omnia quæ ventura erant super eum processit et dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei: Jesum Nazarenum*. Fecit hoc Christus primo, ad testandum innocentiam suam. Nam qui sibi male conscius est, fugit apparitores et justitiæ ministros: innocens illis obviat et procedit.

Secundo, ut suam pro discipulis sollicitudinem ostenderet, seque bonum illum pastorem esse, qui ante oves vadit et pro illis animam suam ponit. Sic etiam bruta animalia pro pullis suis certant et insidiatorum icibus se exponunt, documento superioribus et prælatis quibuscumque,

ut cum suis subditis periculum imminere sentiunt, ipsi in aciem procedant suos defensuri vel pro suis passuri. Quod si non prodiisset Dominus, forte aliquis discipulorum pro ipso, vel omnes simul capti essent: ut ergo hoc ab illis averteret, prodiit quod imitatum legimus S. Thomam Cantuariensem episcopum, cum a sicariis ad necem quaereretur.

Tertio, ut demonstraret tempus esse prodeundi et tempus latendi. Conabantur quidem Judæi jam antea capere illum; sed Jesus se abscondit, quia nondum venerat hora ejus. Multa adhuc miracula facienda erant et quidem omni exceptione majora, multa adhuc docenda, mensura malitiæ Judaicæ expectanda. Nunc postquam omnia ad sufficientiam peracta sunt et hora Judæorum advenit, tempus procedendi fuit. Ad Christi Domini exemplum Paulus nuper conversus Damasci in sporta demissus est per muros, Actor. IX. quia debebat fidem et conversionem annuntiare mundo. Ubi vero id perfecit, ultro morti obviavit, Actor. XX. XXI. etc. Ita etiam Petrus cum imminentem sibi mortem sub Nerone vellet fugere, consilio et bono Christianorum: postquam extra portam Christum obvium habuit, dicentem: *Vado Romam iterum crucifigi*, intellexit horam adesse, qua patiendum sit; ideoque in urbem regressus, martyrio se obtulit. Sic Cyprianus diu imprimis latuit, quia ejus cohortatione cæteri Christiani indignerunt: tandem tempore suo et ipse prodiit ad martyrium.

II. Respondit Jesus: *Ego sum. Quo dicto abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram.* Quæ causa cur hac voce prostraverit adversarios? Respondetur: primo, ut ostenderet eis potentiam dii ininitatis suæ, adeoque errorem eorum, ut resipiscerent; siquidem nemo unquam mortalium, sive Hercules, sive Alexander, voce prostravit hostes. *A sæculo hoc non est auditum.* Faciebat ad hoc intelligendum vox illa: *Ego sum*, quod Dei solius nomen est: *Ego sum qui sum*. Ac ne existimare possent, se ab alio retro existente percussos, non in faciem sunt prolapsi, sed in dorsum. Fecit igitur hoc vox Domini, vox confringentis cedros. Magnum quid præstitit Samson, quando maxilla asini percussit mille Philisthæos, Judic. XV. et Samgar quando vomere sexcentos Philisthæos, Jud. III. Sed uti figura superatur a re ipsa; sic ista etiam facinora ab illo quod designavit Christus. Pugnis et armis prosterni hostes ab hominibus possunt, voce sola minime possunt.

Secundo, ut ostenderet, se non comprehendi vi et eximbecillitate, neque ex improvise. Homines quidem capiuntur vel ex impotentia, quia

nequeunt resistere: vel ex ignorantia, quia insidiis circumveniuntur. Neutrum horum in Christo locum habet: nam *sciens omnia, qua ventura erant super eum, processit eis obviam*, ut vidimus ex Joanne; deinde cum abdere se posset, prodidit dicens: *Ego sum*; quia leo de tribu Juda et dormit apertis oculis, et nullius occursum timet. (Leonem enim se præbere voluit, antequam præberet ovem ducendam ad macellum.) Non ergo circumventus est; sed neque vi oppressus, quia nondum eduxit gladium, voce eos stravit. Quid si gladium strinxisset? Sed et resurgere jacentes patitur, et iterum interrogat quem quaererent. Respondentibus suggerit: *Dixi vobis quia ego sum*: quasi exprobraret illis impotentiam ipsorum, si tradere se nollet. Poterat eos humo affixos tenere: poterat interim securus abire: mille evadendi modi. Quin etiam Judæi, tametsi post osculi signum datum, necdum eum agnoscunt; ideo enim manus Christo non inferunt, nisi enim sol justitiæ seipsum prodidisset, nullis indagaretur facibus. Nimirum *oblatus est, quia ipse voluit*, non quia Judas prodidit. Fecit hoc olim Elisæus Syriæ la trunculis ad se quaerendum missis, locutus est cum eis, duxit eos ad medium Samariæ, nec tamen agnitus est ab eis, IV. Reg. VI. Sed hanc aorasiam non ipse eis immisit: imprecatus est a Deo. Christus vero immisit Judæis, quia Deus erat.

Tertio, ut ostenderet fortasse Ecclesiæ suæ firmitatem et invincibilitatem contra Judæos, paganos et hæreticos. Aderant in hac turba ministri Judæorum, Pharisæorum, gentilium. Primi Judæos designant, secundi hæreticos, tertii gentiles. Omnes isti conati sunt Christi Ecclesiam perdere; sed periit synagoga, periit idololatria, periit hæreses, stetit autem Ecclesia et stabit etiam in posterum, cadent vero hæreses quotquot sunt aut erunt.

Quarto, ut ex hac voce colligeremus vim vocis illius alterius, quam proferet in judicio contra reprobos. Si enim balatus ovis prostravit tot armatos, quid faciet rugitus leonis? *Quid faciet judicaturus*, inquit Augustinus, tract. CXII. in Joan. *qui hoc fecit judicandus?*

III. Permisit ut surgerent prostrati. Primo, ut eis locum resipiscentiæ daret, (licet sciret non emendandos.) Quis enim tam manifeste a Deo

correptus non resipisceret? Sed frustra: iidem qui ceciderant, surrexerunt, nec verbulo recesserunt a priori pervicacia: eadem verba reddunt: *Jesum Nazarenum*. Erant enim obfirmati in malitia, ideoque retrorsum ceciderunt, non in faciem, uti boni cadunt. « In faciem cadere (inquit Sanctus Gregorius, lib. XXXI. moral, cap. X.) est suas culpas agnoscere et pœnitendo flere: retro vero, quo non videtur, cadere, est ex hac vita repente decedere, ad quæ supplicia ducatur ignorare. » In dorsum ergo cadere, est suas culpas non agnoscere nec pœnitendo flere. Hinc peroptat demon ut mittamus nos deorsum, ne facile resurgamus. Resurgunt multi e morbis, sed nihil meliores, tametsi multa proposuerunt. Viderint, ne hoc vergat ad majorem eorum perditionem.

Pugnat hic Deus cum impiis quasi fortis athleta cum tyrone, non statim eos delens et omnino prosternens sed sinens eos respirare, proficere subinde et prosperari ut sic emendantur. At cum videt eos non emendari, sed magis perverti, incipit serio agere eosque uno prosternit ietu: sic diu cum Pharaone luserat, multis eum plagis tangendo, et iterum eas amovendo ad sponsonem emendationis. Sed quia nihil se emendavit et magis induruit, ideo Deus elevavit nanum et demersit eum in mare rubrum.

Secundo, ut doceret nos mansuetudinem admiscere correptionibus. Poterat sane Christus perdere nequam homines vel igne de cœlo tracto, quomodo Elias quinquaginta viros ad se comprehendendum missos punivit, IV. Reg. I. potuisset terram scindere et reprobos demergere, aliisque modis ulcisci. Sed maluit ad terram affligere, nobis in exemplum, ut nostros inimicos potius ad resipiscentiæ trahe-re, quam delere studeremus.

IV. *Si ergo me quaeritis*, inquit, *sinite hos abire*, discipulos videlicet. Ecce dixit istud? Primo, quia non expediebat ut discipuli cum ipso morerentur ne et ipsi a simplicioribus mediatores reputarentur et Christo æquiparentur: hinc illa Pauli expositio ad ejusmodi genus hominum, qui dicebant: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi, numquid Paulus crucifixus est pro vobis aut in nomine Pauli baptizati estis*, I. Cor. I. Solus Christus est, qui redimere nos potuit. *Torcular calcavi solus*, inquit Isa. c. LXIII. *et de gentibus non est vir mecum*. Solus ipse sufficientissimum pretium fuit ad nos omnes redimendos, ideoque sub typo discipulorum nos omnes in libertatem asseruit, dum ipse pro nobis ligari voluit. Pulchre hoc indicavit Dominus, cum dixit: *Si ergo me quaeritis*, *sinite hos abire*, q. d. si ego victima esse pro peccato debeo, ergo homines dimittendi sunt, quia pretium sufficiens pro omnibus Deo pendam.

Secundo, ut juxta prophetiam, non perderet ex suis quemquam. Nam si et ipsi capti et supplicis subjecti fuissent, terrore percussi Christum abnegassent, qui nondum Spiritus sancti gratia conformati erant. Si enim Petrus omnium cordatissimus ad vocem ancillæ territus tertio negavit, quid fecissent alii, si tormenta præ oculis vidissent? Quare etiam ostendit Christus nemini immitti tentationes ultra vires suas.

Tertio, ut in hoc etiam potentiam suæ divinitatis ostenderet, dum hoc præcepto inimicos suos continuit, ne discipulis nocerent. Qui enim *legem ponebat aquis ne transirent fines suos, et mari dixit: Usque huc venies et hic confringes tumentes fluctus tuos*; idem eadem potestate præcepit nunc Judæis magis efferatis et sævientibus quam sit ipsum mare. Alioquin absque dubio totum absolutissent nidum et in primis Petrum quod resisterit et aurem absciderit justitiæ ministro.

Quarto, ut ostenderet providentiam suam specialem erga servos suos; nam ita eos tutatus est, ut nec postea quidem a Judæis quidquam mali paterentur usque ad pentecosten. Neque enim Petrus in atrio Caiphæ, neque Joannes sub cruce pertulit aliquid. Nimirum sicuti olim Deus conclusit ora leonum ne nocerent Danieli, sic Christus nunc Judæos tenuit, ne discipulis nocerent. Hoc est quod promiserat illis Dominus, Luc. XII. *Sed et capilli capitis vestri numerati sunt*; et Lucæ XXI. *Capillus de capite vestro non peribit*. Sic ignis et sulphur non pluit super Sodomam, nisi postquam exierunt inde justi. Mare rubrum non est in se reversum, nisi postquam transierunt omnes Israelitæ. Terra non est disrupta, nisi postquam justi recesserunt a tabernaculis impiorum Dathan et Core.

§ VII. — MALCHUS AURE TRUNCATUR.

I. Petrus gladio percussit et aurem abscidit Malcho. — II. Continet Christus discipulos, quatuor argumentis. — III. Sanat aurem Malchi.

THEMA.

Percussit unus ex illis servum principis sacerdotum et amputavit auriculam ejus dexteram. Lucæ XXII.

Quando Christus ex anxia illa oratione surgens reversus est ad discipulos suos, dixit inter alia ad eos: *Spiritus quidem promissus est, caro*